

TRACTATUS VIII.

*De Pœnitentia, extremâ Unctione, Ordine,
Matrimonio.*

PARS I.

De Sacramento Pœnitentia.

Multi hoc loco multa disputant de Pœnitentia, ut virtus est. Verùm satis erit exponere paucis, hanc virtutem esse in eo sitam; quòd *pœnitens assumit moderatum dolorem de peccatis præteritis, cum intentione removendi ea, quoad sequelam eorum, scilicet offensam Dei, & reatum pœnæ.* D. Thom. P. 3. Q. 85. in C. & ad 3.

Quæ quidem in *interiorem, & exteriorem* dividitur. *Interior* est dolor de propriis peccatis, cum firmo proposito cavendi, tum ab illis, tum ab aliis quibusvis impofterum. *Exterior* autem est fructus interioris, videlicet castigatio aliqua de commissis.

Utriusque conjunctio laudatur sæpè in Ss. Scripturis, ut: *Ago pœnitentiam in favilla, & cinere.* Job. ult. *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, in fletu, & planctu.* Joel. 2. *Ninivitarum pœnitentia in jejunio, fletu, & cinere, describitur* Jonæ 3. *Matth 11.* Christus ait, *Tyrios, & Sidonios, in cinere, & cilicio acturos fuisse pœnitentiam &c.*

Reliqua de virtute pœnitentiæ scitu necessaria satis explicabuntur in disputationibus de pœnitentia Sacra-

mento, ejus pars est pœnitentiæ virtus. Notari hoc loco tamen poterit

ERROR

Laurentii Vallæ in annotatione in *Cap. 7. 2da Cor.* Erasmi Rotærodami in *Cap. 3. Matth.*, Bezz *ibid.*, Lutheri in *Epist. ad Vicar. General. sui ordinis anno 1518.* contendunt, *Pœnitentiæ* vocem significare solam mentis mutationem, aut agnitionem erroris, non verò etiam dolorem, & detestationem peccati, & vindictam spontè sumptam. Propterea voces græcas *μετανοεῖν*, & *μετάνοια* negant latinè reddendas: *pœnitere*, *pœnitentiæ*; sed rectius exponi: *resipiscere*, *resipiscentiæ*. Vid. Bellarm. Lib. 1. de Pœnit. Cap. 7.

SECTIO I.

An in nova Lege pœnitentiæ sit verè propriè dictum Sacramentum; & de ejus necessitate.

1. Fuit quidem pœnitentiæ universis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinâssent, quovis tempore ad gratiam, & justitiâam assequendam necessaria; illis etiam, qui Baptismi Sacramento ablui petiissent. *Trid. Sess. 14. Cap. 1.*

Stabilietur hoc loco præcipuè dogma Catholicum: *Nemini unquam peccata remitti, nisi ea retractaverit per pœnitentiâam.* Quæstio verò, *an Deus posset absolue condonare peccata sine pœnitentiâam*, vel omittetur, vel paucissimis delibabitur.

2. Porrò nec ante adventum Christi pœnitentiæ erat Sacramentum, nec est post adventum illius cuiquam ante Baptismum. *Ibid.*

3. In

3. In Ecclesiâ verò Catholicâ pœnitentia est verè propriè Sacramentum pro fidelibus, quoties post Baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis, à Christo Domino nostro institutum. Florent. in Decret. pro Armen., & Trid. Sess. 14. Can. 1.
4. Dominus autem Sacramentum pœnitentiæ tum præcipuè instituit, cùm à mortuis suscitatus insufflavit in discipulos suos, dicens: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittantur eis* &c. Trid. Sess. 14. Cap. 1.
5. Quare... S. Synodus damnat eorum commentitias interpretationes, qui verba illa ad potestatem prædicandi Verbum Dei, & Christi Evangelium annuntiandi, contra hujusmodi Sacramenti institutionem, falsò detorquent. Trid. *ibid.* Cap. 1. & Can. 3.
6. Cæterum hoc Sacramentum multis rationibus à Baptismo differre dignoscitur. Sess. ead. Cap. 2. & Can. 2.
7. Hos (*baptizatos*) si se postea crimine aliquo contaminaverint, non jam repetito baptismo ablui... sed ante hoc tribunal (*Sacramenti pœnitentiæ*) tanquam reos sisti voluit Dominus. Cap. 2. eod.
8. Ut per sacerdotum sententiam, non SEMEL, sed QUOTIES ab admissis peccatis ad Ipsum pœnitentes confugerent, possent liberari. *Ibid.*

9. Est autem hoc Sacramentum pœnitentiæ lapsis post baptismum ad salutem necessarium, ut nondum regeneratis ipse baptismus. *Ibid.*

ERRORES.

(1.) Montanus, & post hunc Novatus presbyter Carthaginensis, cum Novatiano presbytero Romano, non negabant quidem lapsis post baptismum omnem reconciliationis, & salutis spem; negabant tamen, ab Ecclesia eos absolvi, & reconciliari posse; sed remittebant illos ad Deum, qui habeat auctoritatem, dimittendi peccata: ut discimus ex Socrate *Lib. 4. Hist. Cap. 23.* Cypriano *Lib. 2. Epist. 4.* Ambrosio *Lib. 1. de Pœnit. Cap. 2.* qui addit, sui temporis Novatianos, exceptis criminibus gravioribus, relaxasse veniam levioribus; in hoc patrem suum propriam damnantes sententiâ. (2.) Petrus de Osma, Doctor Salmanticensis, docuit, Sacramentum pœnitentiæ, quantum ad collationem gratiæ, Sacramentum naturæ esse, non alicujus institutionis, veteris, vel novi Testamenti; ut constat ex Synodo Complutensi, habitâ anno 1479. ab Alphonso Archiepiscopo Tolerano auctoritate Sixti IV., à quo decreta hujus Synodi fuere confirmata. (3.) Lutherus, & Melanchthon, sibi non satis constantes, modò dicunt, in Ecclesia non esse aliud Sacramentum pœnitentiæ, nisi baptismum: modò etiam Absolutionem ajunt esse Sacramentum. Vid. Bellarm. *de Pœnit. Lib. 1. Cap. 9.* (4) Zvinglius, Calvinus, Beza, Absolutionem è numero Sacramentorum planè auferunt. (5.) Lutherus in *Lib. de Captivitat. Babyl. circa fin.* ait, Pœnitentiæ Sacramentum aliud non esse, quàm viam, & reditum ad Baptismum. Idem habet Calvinus *Lib. 4. Inst. Cap. 15. §. 4.* Itaque lapsos post Baptismum reconciliari dixerunt per baptismum, non quidem reipsâ, sed memoriâ, repetitum.

SECTIO II.

*De Partibus Sacramenti Pœnitentiæ,
ejusque effectu.*

DOGMATA.

1. Sacramenti Pœnitentiæ forma, in qua præcipua ipsius vis sita est, in illis ministri verbis posita est: *Ego te absolvo &c.* Concil. Flor. Decr. ad Armen. Trid. Sess. 14. cap. 3.

Disciplina: Quibus quidem de Ecclesiæ sanctæ more præces quædam laudabiliter adjunguntur: ad ipsius tamen formæ essentiam nequaquam spectant; neque ad ipsius Sacramenti administrationem sunt necessaria. Trid. *ibid.*

2. Absolutio sacramentalis sacerdotis non est merum ministerium pronunciandi, & declarandi, remissa esse peccata confitenti, modò tantùm credat, se esse absolutum: sed est actus judicialis, quo sacerdos seriò, non joco, absolvit. Trid. Sess. 14. *Can. 9.*
3. Sunt autem quasi materia hujus Sacramenti ipsius pœnitentiæ actus, nempe contritio, confessio, & satisfactio. Flor. *l. c.* & Trid. Sess. *cit.* Cap. 3.
4. Res, & effectus hujus Sacramenti, quantum ad ejus vim, & efficaciam pertinet, est absolutio à peccatis, sive reconciliatio cum Deo. Flor. & Trid. *ll. cc.*
5. Quam interdum in viris piis, & cum devotione hoc

Sacramentum percipientibus, conscientiae pax, ac serenitas, cum vehementi spiritus consolatione, consequi solet. Trid. *ibid.*

6. Haec de partibus, & effectu hujus Sacramenti S. Synodus tradens, simul eorum sententiam damnat, qui poenitentiae partes incussos conscientiae terrores, & fidem, esse contendunt. Trid. *ibid.*

ERRORES.

(1.) Philippus Melanchthon *in Apolog. Confess. Aug. Art. 12.* praeter verbum Absolutionis, ritum etiam quendam visibilem a ministro adhiberi vult, ut perficiatur absolutionis Sacramentum. Quis autem is ritus sit, non explicat. (2.) Lutherus, & Calvinus juxta errorem sum *sect. praec.* constituunt Sacramentum poenitentiae ex Baptismo, seu baptismi recordatione, & verbo absolutionis. (3.) Lutherus in Articulis Schmalcaldicis anno 1537. editis, *Cap. de Poenit.* partes duas poenitentiae ex parte poenitentis dicit esse, *contritionem, & fidem*, sive *Legem, & Evangelium*, id est, terrores conscientiae ex minis legis incussos, & fiduciam quandam certam remissionis peccatorum, ex Evangelii pollicitatione conceptam. (4.) Calvinus *Lib. 3. instit. Cap. 3. §. 38.* duas poenitentiae partes constituit, *mortificationem* vitiorum, sive abnegationem sui, & *spoliationem* totius veteris hominis, & *vivificationem*, sive plium bene vivendi studium, atque affectum ad opera bona.

PROPOSITIONES DAMNATAE.

A Leone X. anno 1520. Lutheri Artic. 5. *Tres esse partes poenitentiae, Contritionem, Confessionem, Satisfactionem, non est fundatum in S. Scriptura, nec in antiquis Ss. Christianis Doctores.*
 Art. 7. *Verissimum est proverbium, & omnium doctrina, de contritionibus*

tritionibus hucusque datâ, præstantius : DE CÆTERO NON FACERE. SUMMA POENITENTIÆ; OPTIMA POENITENTIÆ NOVA VITA.

Art. 10. Peccata non sunt ulli remissa, nisi remittente Sacerdote credat sibi remitti &c. Eodem collimant Articuli 11. 12. 13.

PROBLEMATA.

1. An tota ratio Sacramenti pœnitentiæ sita sit in sola absolutione; ut sentit Scotus in 4. Sentent. Dist. 14. Q. 4., & Dist. 16.

Q. 1.

2. An sola Confessio sit pars materialis Sacramenti pœnitentiæ; contritio autem sit dispositio solum, & satisfactio fructus pœnitentiæ, ut opinatus fuit Durandus in 4. Sent. Q. 16.

Q. 1.

Quæ quæstiones breviter expedientur : cum Catholici aucthores summo consensu fateantur omnes, enumerata à Florentino, & Tridentino, omnia esse ad hoc Sacramentum necessaria; solâque inter eos dialectica & metaphysica sit; an dicenda sint hæc omnia pertinere ad Sacramenti essentiam.

3. An ad absolutionis essentiam spectent hæc sola verba : *Absolvo te* an verò etiam hæc : *Absolvo te à peccatis.*

4. Quis sit verus proprius verborum absolutionis sensus.

5. Quomodo Christus materiam, & formam hujus Sacramenti determinaverit.

6. Quid sentiendum de opinione quorundam scholasticorum veterum, qui manus impositionem ad Sacramenti pœnitentiæ materiam requirebant. Vid. S. Thom. P. 3. Q. 84. Art. 4. & Opusc. 22. de form. absolut.

7. Utrum Sacramentum pœnitentiæ possit esse validum, & informè.

8. Utrum merita, per peccatum grave mortificata, reviviscant per pœnitentiam.

9. Ut peccata, per pœnitentiam remissa, reviviscant per relapsum in novâ peccata gravia.

Ad singulas deinde Sacramenti hujus partes uberius exponendas procedetur.

SECTIO III.

De Contritione.

PRÆCOGNITA.

1. Contritio animi dolor, ac detestatio est de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cœtero. *Trid. Sess. 14. Cap. 3.*
2. Contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingit. *Ibid.*
3. Illa verò, quæ vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum, metu communiter concipitur, contritio imperfecta, & *attritio* dicitur.

DOGMATA.

1. Fuit quovis tempore ad impetrandam peccatorum veniam hic contritionis motus necessarius. *Trid. Sess. 14. Cap. 4. vid. supra Dogma 1. sect. 1.*
2. Hæc contritio non solum cessationem à peccato, & vitæ novæ propositum, & inchoationem, sed veteris etiam detestationem, continet. *Trid. ibid.*
3. Perfecta per charitatem contritio hominem DEO reconciliat, priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur, *Ibid.*

4. Ipsa

Ipsa nihil
 Sacramen
 adscriben
 Notari q
 paulo
 etiam ven
 baptisim
 si cu
 TO PA
 rite
 5. Ea contr
 ctionem
 recogno
 ponder
 titudin
 tudinis
 prop
 pœn
 Cap
 6. Sed e
 sanct
 sect
 sibi a
 7. Neque
 volun
 8. Et qu
 justifi

4. Ipsa nihilominus reconciliatio ipsi contritioni sine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non est adscribenda. *Ibid.*

Notatu quoque digna sunt verba, quæ S. Synodus habet paulò iuperitis: *Fuit quovis tempore ad impetrandam peccatorum veniam hic contritionis motus necessarius; & in homine post baptismum lapsò ita demum preparat ad emissionem peccatorum, SI CUM FIDUCIA DIVINÆ MISERICORDIÆ, ET VOTO PRÆSTANDI RELIQUA, CONJUNCTUS SIT, quæ ad ritè suscipiendum hoc Sacramentum requiruntur.*

5. Ea contritio, quæ paratur per discussionem, collectionem, & detestationem peccatorum, quâ quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum suorum gravitatem, multitudinem, foeditatem, amissionem æternæ beatitudinis, & æternæ damnationis incursum, cum proposito melioris vitæ, non facit hominem hypocritam, & magis peccatorem. *Trid. Sess. 14. Cap. 4. & Can. 5.*
6. Sed est verus, & utilis dolor, donum Dei, & Spiritûs sancti impulsus, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantùm moventis, quo pœnitens adjutus viam sibi ad justitiam parat. *Ibid.*
7. Neque est dolor extortus, & coactus, sed liber, & voluntarius. *Ibid.*
8. Et quamvis sine Sacramento pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, ta-

men eum ad Dei gratiam, in Sacramento pœnitentiæ impetrandam, disponit. *Ibid.*

8. Tam contritio, quàm attritio debet (1) esse *supernaturalis* ratione & principii, & motivi; (2) *universalis*, extendens se ad omnia peccata mortalia; (3) conjuncta cum sincero, & *firmiter proposito* non peccandi de cœtero.

ERRORS.

(1) Lutherus in damnatis à Leone X. articulis 11. 12. & 14. negat, contritionem esse ad consequendam remissionem peccatorum necessariam; sed dicit, eum, qui fortiter credat se absolutum, fore verè absolutum, quidquid sit de contritione, imò quamvis non esset contritus. (2) Baji circa contritionem errores mox exhibebunt ejus propositiones damnatæ. (3) Lutherus *Disp. 1. adv. Antinomios Prop. 2. & 30, in artic. Schmalcaldicis Tit. de Pœnit.*, Lutherani rigidi *in colloq. Altenburgensi*, docent, contritionem ex pœnarum metu conceptam, non esse liberam, & voluntariam, sed coactam, & extortam: imò non esse actionem, sed passionem; cum non homo seipsum, sed Deus hominem conterat malleo legis, & minarum: Nec pertinere eam ad ad Evangelium, sed ad legem. (4.) *Iidem ibid.* docent, eam non modo non esse opus bonum, sed etiam hominem omni opere bono spoliare, & replere innumerabilibus peccatis, & maledictione.

PROPOSITIONES DAMNATÆ.

Inter damnatas ab Alexand. VIII. 8vâ Decembr. 1690. hæc nona: *Revera peccat, qui odio habet peccatum merè ob ejus turpitudinem, & disconvenientiam cum naturâ, sinè ullo ad Deum offensum respectu.*

10. *Intentio, quâ quis detestatur malum, & prosequitur bonum, merè, ut cœlestem obtineat gloriam, non est recta, nec Deo placens.*

14. *Timor gehennæ non est supernaturalis.*

15. *Attritio, quæ gehennæ, & pœnarum metu concipitur, sine dilectione benevolentia Dei propter se, non est bonus motus, ac supernaturalis.*

Baji 71ma: *Per contritionem, etiam cum charitate perfectâ, & cum voto suscipiendi Sacramentum, conjunctam, non remittitur crimen extra casum necessitatis, aut martyrii, sine actuali susceptione Sacramenti.* Affines huic sunt ejusdem Propositiones 31ma, 32da, & 70ma.

Quesnelli 60. *Si solus supplicii metus animat pœnitentiam, quæ hæc est magis violenta, eò magis ducit ad desperationem.*

61. *Timor non nisi manum cohibet: cor autem tam diu peccato addicitur, quàm diu ab amore justitiæ non ducitur.*

62. *Qui à malo non abstinet, nisi timore pœnæ, illud committit in corde suo, & jam est reus coram Deo.*

QUESTIONES THEOLOGICÆ.

1. *Utrum ad hoc, ut contritio perfecta, cum voto Sacramenti conjuncta, hominem Deo reconciliet priùs, quàm Sacramentum actu suscipiatur, requiratur certa intentio, aut temporis duratio.*

2. *An verò sufficiat, ut peccatum detestetur præ alio quolibet malo propter Deum, ob suammet bonitatem, quâ sibi bonus est, super omnia dilectum.*

3. *An contritio perfecta vim reconciliandi Deo hominem ante susceptum actu Sacramentum amittat; quando eam committatur amor aliquis Dei interessatus, ut vocant, aut gehennæ timor.*

4. *An attritio (suprà Pracogn. 3. descripta) possit omnem peccandi voluntatem positivè, absolutè, efficaciter excludere.*

Hanc materiam dogmaticè tractat *Fontana in Constitutione UNIGENITUS Theologicè propugnata ad Propp. 60 61. 62.*

5. An attritio ejusmodi, conjuncta cum spe veniæ, præcisò- que amore benevolò Dei propter se dilecti, sufficiat ad valorem Sacramenti pœnitentiæ, & ad Dei gratiam in illo impetrandam.

Hanc Quæstionem tractat *Benedictus XIV. de Syn. Lib. 7. Cap. 13.*

6. An dolor, & propositum debeat se extendere ad omnia peccata, tam venialia, quàm mortalia.

7. An sufficiat propositum emendationis implicitum, & virtuale; an verò requiratur formale.

SECTIO IV.

De Confessione.

DOGMATA.

1. Ex institutione Sacramenti pœnitentiæ univèrsa Ecclesia semper intellexit, institutam etiam esse à Domino integram peccatorum confessionem, & omnibus, post baptismum lapsis, jure divino necessariam existere. *Trid. Sess. 14. Cap. 5. & Can. 6.*
 2. Constat enim, Sacerdotes judicium hoc incognitâ causâ exercere non potuisse, nec æquitatem quidem illos in pœnis injungendis servare potuisse; si *in genere duntaxat*, & non potius *in specie*, & *sigillatim*, sua ipsi peccata declarassent. *Ibid.*
 3. Ex his colligitur, oportere à pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum post diligentem suâ dis-
- cussionem

cussionem conscientiam habent, in confessione recenseri; etiamsi occultissima illa sint, & tantum adversus duo ultima præcepta Decalogi: *Ibid.* & *Can. 7.*

4. Qui verò secus faciunt, & scienter aliqua retinent, nihil divinæ bonitati per Sacerdotem remittendum proponunt. *Ibid.*
5. Colligitur præterea, etiam eas circumstantias in confessione explicandas esse, quæ speciem peccati mutant. *Ibid.* & *Can. 7.*
6. Impium est, Confessionem, quæ hâc ratione fieri præcipitur, impossibilem dicere, aut carnificinam illam conscientiarum appellare. *Ibid.* & *Can. 8.*
7. Venialia... quanquam rectè, & utiliter, citràque omnem præsumptionem, in confessione dicantur..., taceri tamen citrà culpam, multisque aliis remediis expiari, possunt. *Ibid.* & *Can. 7.*
8. Cæterum quò ad modum confitendi secretò apud solum sacerdotem, etsi Christus non vetuerit, quin aliquis. . delicta sua publicè confiteri possit, non est tamen hoc divino præcepto mandatum. *Ibid.*
9. Unde secretà confessione sacramentali ab initio Ecclesia sancta usa est, & modò etiam utitur. *Ibid.*
10. Quam revelans Sacerdos scelus gravissimum committeret. *Can. Sacerdos. 2. de Pœnit. Dist. 6. Et cap. Omnis utriusque textus. 12. de Pœnit. & Remiss.*

DIS-

DISCIPLINA.

Ecclesia per Concilium Lateranense statuit (*Cap. Omnis utriusque*) ut præceptum confessionis saltem semel in anno ab omnibus, & singulis, cum ad annos discretionis pervenissent, impleretur

Falsò autem jactant Protestantes quidam, confessionem à Concilio hoc Lateranensi sumpsisse initium, & esse inventum merè humanum.

ERRORES.

(1.) Petrus de Osma docuit, peccata mortalia, quantum ad culpam, & pœnam alterius sæculi, deleri per solam contritionem cordis sine ordine ad claves. Confessionem verò de peccatis in specie, sive ex aliquo statuto universali Ecclesiæ, non de jure divino. Eundem in errorem impegit Glossator decreti, qui in principio *Dist. 5. de pœnit.* ait, quòd melius est credere, illam confessionem peccatorum auricularem esse institutam ex quadam Ecclesiæ traditione, quàm ex novi, aut veteris testamenti auctoritate. Idem sentiunt moderni Protestantes. (2.) Jacobitæ quidam orientales, quos secuti Waldenses, & postea Lutherus, sentiebant, non esse necessarium confiteri Sacerdoti, sed sufficere, si soli Deo confiteamur. (3.) Wicleffus *Articulo 7. damnato in Concil. Constantiensi Sess. 45.* sic habet: *Si homo fuerit debite contritus, omnis confessio exterior est sibi superflua, & inutilis.* (4.) Inter articulos Lutheri, à Leone X. damnatos, sunt & hi: 8vus: *Nullò modo præsumas confiteri peccata venialia, sed nec omnia mortalia; quia impossibile est, ut omnia mortalia cognoscas. Unde in primitiva Ecclesiâ solùm manifesta mortalia confitebantur.* 9vus: *Dum volumus omnia purè confiteri, nihil aliud facimus, quàm quòd misericordia Dei nihil volumus relinquere ignoscendum.*

PRO.

PROPOSITIONES DAMNATÆ.

Ab Alexand. VII. 11ma: *Peccata in confessione omissa, seu ob-
lita, ob instans periculum vitæ, aut ob aliam causam, non tenemur in
sequenti confessione exprimere.*

14ta: *Qui facit confessionem voluntariè nullam, satisfacit præ-
cepto Ecclesiæ.*

Ab Innoc. XI. 58va: *Non tenemur confessario interroganti fa-
teri peccati alicujus consuetudinem.*

59na: *Licet sacramentaliter absolvere dimidiatè tantùm confes-
sos, ratione magni concursus pœnitentium, qualis v. g. potest contin-
gere in die magnæ alicujus festivitatis.*

QUÆSTIONES, & PROBLEMAT A.

1. Quibus casibus urgeat præceptum confessionis.
2. An existet præceptum confitendi circumstantias merè ag-
gravantes intra eandem speciem peccati mortalis;
3. Utî & peccata dubia.
4. An aliquando, & quibus ex causis, ad absolutionem vali-
dam sufficere possit *confessio* tantùm *formaliter*, ut vocant, *in-
tegro*.
5. An confessio absenti facta per literas sit solo humano jure
nulla.
6. Quinam, quo jure, & sub quâ pœnâ, teneantur confessio-
nis sigillo.
7. An nullo casu liceat temerare sigillum confessionis.
8. An, etiam dum nullum est revelandi sigilli periculum, li-
citus sit usus interior, vel externus, scientiæ ex confessione solâ
haustæ.
9. Utrùm in latione sigilli reperiri possit parvitas materiæ.
10. Cætera de Confessione relinquuntur Theologiæ morali.

SE-

SECTIO V.

De Ministro Sacramenti pœnitentiæ.

DOGmata.

1. Falsæ, & à veritate Evangelii penitus alienæ, sunt doctrinæ omnes; quæ ad alios quosvis homines, præter Episcopos, & Sacerdotes, clavium ministerium perniciosè extendunt. Concil. Constantiens. *Sess. 45.*, Florent. *in Decret. Armen.*, Trident. *Sess. 14. Cap. 6. Can. 10.*
2. Prævè sentiunt, qui dixerint, Sacerdotes, qui in peccato mortali sunt, potestatem ligandi, & solvendi non habere. *Ibid.*
3. Sacerdos absolvens non exercet nudum ministerium, vel annuntiandi Evangelium, vel declarandi, remissa esse peccata, sed actum judiciale, quo ab ipso velut iudice sententia pronuntiatur. *Trid. ibid. & Can. 9.*
4. Quoniam natura, & ratio iudicii illud exposcit; ut sententia in subditos duntaxat feratur: nullius momenti absolutio esse debet, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam, non habet jurisdictionem. *Trid. ibid. Cap. 7.*

DISCIPLINA.

1. Magnoperè verò ad Christiani populi disciplinam per-

pertinere
ut atrocio
summis c
Cap. 7
Hinc pol
causas
servare
Hanc aut
est divin
tia, led
Veruntan
aliquis
semper
tis. I
4. Decer
etiam
etiam
tari
pis, p
alias,
at. T
5. Gener
lacul
censer
niali
ciali

pertinere sanctissimis Patribus nostris visum est ;
 ut atrociora quædam, & graviora crimina non nisi à
 summis duntaxat sacerdotibus absolverentur. *Ibid.*

Cap. 7. § Can. 11.

Hinc possunt, tam Pontifex Max., quàm reliqui Episcopi,
 causas aliquas criminum graviore peculiari iudicio re-
 servare.

2. Hanc autem delictorum reservationem, consona
 est divinæ auctoritati, non tantum in externa poli-
 tia, sed etiam coram Deo, vim habere.
3. Veruntamen piè admodum, ne hâc ipsâ occasione
 aliquis pereat, in eadem Ecclesia Dei custodituna
 semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mor-
 tis. *Ibid.*
4. Decernit sancta Synodus, nullum Presbyterum,
etiam regularem, posse confessiones sæcularium,
 etiam Sacerdotum, audire, nec ad id idoneum repu-
 tari; nisi aut parochiale beneficium, aut ab Episco-
 pis, per examen, si illis videbitur necessarium, aut
 aliàs, idoneus iudicetur, & approbationem obtine-
 at. *Trid. Sess. 23. Cap. 15. de Ref.*
5. Generaliter approbatos ab Episcopo ad personarum
 sæcularium confessiones audiendas, nequaquam
 censerì approbatos ad audiendas confessiones *mo-
 nialium* sibi subjectarum, sed egere quoad hoc spe-
 ciali Episcopi approbatione, declaravit Clemens X.

in Constit. *Superna magni*, post Gregorium XV.
in Constit. *Inscrutabili*.

ERRORES.

1. Waldenses asserunt, Laicum, & virum frugt, clavium potestatem à Christo accepisse. (2.) Lutherus longius progressus, Artic. 13. inter damnatos à Leone X. hæc ait: *In sacramento pœnitentiæ, ac remissione culpæ, non plus facit Papa, aut Episcopus, quàm infimus sacerdos; imò, ubi non est sacerdos, aquetantum quilibet Christianus, etiamsi mulier, aut puer esset.* Quibus verbis negare etiam videtur Papæ, & Episcopis potestatem, reservandi tibi culpas quasdam atrociores. (3.) Ejusdem, & aliorum Protestantium est error, asserens, sacerdotem non remittere peccata, sed duntaxat declarare remissa.

PROPOSITIONES DAMNATÆ.

Baji 58va: *Peccator pœnitens non vivificatur ministerio Sacerdotis absolventis, sed à solo Deo; qui pœnitentiam suggerens, & inspirans vivificat, & resuscitat.*

Ab Alexand. VII. 3tia: *Sententia asserens, Bullam cœna solùm prohibere absolutionem hæresis, & aliorum criminum, quando publica sunt, & id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est, anno 1629. 18. Julii in consistorio sacra Congregationis eminentissimorum Cardinalium visa, & tolerata est.*

4ta: *Prælati regulares possunt in foro conscientie absolvere quoscumque seculares ab hæresi occultâ, & ab excommunicatione propter eam incurrà.*

12ma: *Mendicantes possunt absolvere à casibus Episcopis reservatis, non obtentâ ad id Episcoporum facultate.*

13tia: *Satisfacit præcepto annuæ confessionis, qui confitetur regulari, Episcopo presentato, sed ab eo injustè reprobato.*

16ta: *Qui beneficium curatum habent, possunt sibi eligere in confessarium simplicem sacerdotem, non approbatum ab Ordinario.*

QUÆ

QUÆSTIONES.

1. Quid sentiendum de doctrina Magistri sententiarum, Lib. 4. Dist. 17. Cap. 4. dicentis, in necessitate, si sacerdos absit, debere confiteri laico etiam mortalia. Vid. Ss. D. N. Benedict. XIV. de Syn. Lib. 7. Cap. 15.

2. An Deus, si quis in necessitate confiteatur laico, tum suppleat effectum gratiæ; uti videtur annuere Can. *Quem pœnit. 88. de Pœnit. dist. 1.*, & D. Thomas in 4. Dist. 17. Q. 3. Art. 1. quæst. 2. & Dist. 24. Q. 1. Art. 2. quæst. 3. ad 2.

3. An olim Diaconis ab Episcopis data fuerit, aut dari potuerit, potestas, in necessitate impertiendi absolutionem sacramentalem; an verò *canonicam* tantum, nempe à pœnitentiæ publicâ, injungi solitâ.

Scrupulum maximè movent Conc. Eliberitani canon. 32.

Apud presbyterum, si quis gravi lapsu in ruinam mortis inciderit, placuit agere pœnitentiam non debere, sed potius apud Episcopum: cogente tamen infirmitate, necesse est, presbyterum communionem prestare debere, & DIACONUM, si ei iusserit sacerdos: S. Cyprianus Epist. 12. (aliis 13.) sic rescribens: Si (lapsi) incommodo aliquo, & infirmitatis periculo, occupati fuerint, non expectatâ presentia nostrâ, apud presbyterum quemcunque presentem, vel, si presbyter repertus non fuerit, & urgere exitus coeperit, apud DIACONUM quoque, exomologesin facere delicti sui possint: ut, manu eis in pœnitentiâ impostâ, veniant ad Dominum cuncte pace &c. Vid. Thomassinus Discip. Eccles. P. 1. Lib. 2. Cap. 7. præsertim n. 16.

4. Utrum Episcopi rectè, tam parochos, quàm non-parochos, statis temporibus revocent ad examen.

SECTIO VI.

De officio Ministri pœnitentiæ.

PRINCIPIA.

1. Sacerdos, pœnitentiæ minister, est imprimis Minister,

ster, & dispensator Mysteriorum DEI, hujus vicem gerens.

Sic nos existimet homo, ut Ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei. 1. Cor. 4. v. 1.

2. Vi hujus muneris debet tanquam fidelis dispensator absolutionis gratiam conferre dignis, negare indignis, secundum Christi Domini voluntatem: & injustus est æquè, absolutionem negans dignis, ac concedens indignis.
3. Deinde est *Judex*, ex *Trid. supra*.
4. Velut *judex* debet (1) discernere lepram à lepra, id est, discernere, quæ peccata sint gravia, & levia; quæ specie, quæ numero, distinguantur; (2) Judicare, qui sint digni absolutione, qui indigni; (3) imperare pœnitentiam delictis convenientem. *Trid. Sess. 14. Cap. 8.* (4) Absolutionis sententiam, vel pronuntiare, vel differre, vel denegare indignis, pro ut in Domino judicaverit.
5. Indigni absolutione sunt, (1.) quibus deest sincerus, ac supernaturalis dolor de peccatis, & emendationis serium propositum: (2.) qui nolunt læso proximo satisfacere: (3.) qui, dum possunt, nolunt vitare occasiones peccandi proximas: (4.) qui ignorant necessaria fidei mysteria: (5.) qui nolunt reparare scandala, publicè data: (6.) qui consuetudine peccandi laborantes, ore quidem proferunt, se dolere, & proponere emendationem; nulla ta-

men

men in eis signa notantur, ex quibus emendationis spes affulgeat, & prudenter judicari possit, serium esse dolorem, & propositum.

6. Si quando justis de causis differenda judicabitur absolutio; id debet fieri *ad adificationem*, non *ad destructionem*, & sine animarum periculo: nec tam est consideranda mensura temporis, quàm doloris.

Nam misericordia Dei nec mensuras possumus ponere, nec tempora definire: apud quem nullas patitur venia moras conversio. S. Leo Epist. 91.

7. Tertio Sacerdos est *Medicus*. Sacerdos autem sit *discretus*, & *cautus*; ut more periti medici *superinfundat oleum*, & *vinum vulneribus sauciati*, *diligenter inquirens* & *peccatoris circumstantias*, & *peccati*: ex quibus prudenter intelligat, quale debeat ei *præbere consilium*, & *ejusmodi remedium adhibere*, *diversis experimentis utendo ad salvandum egrotum*. Cap. *Omnis utriusque* de pœnit. & remis.

8. Tanquam medicus debet (1) suggerere apta ad relapsum cavendum media; (2) dehortari à rebus quibuslibet animæ noxiis, & periculosis, (3) præscribere ejusmodi pœnitentiæ opera, quæ non modò sint *vindicta* peccatorum, sed etiam *medicina*.

9. Quarto est *Doctor*. Velut Doctor, debet (1) ignorantibus docere necessaria ad salutem; (2) dubitantibus rectè consulere; (3) exponere pœnitentibus debitum

bitum reparandi damna, & scandala, siquæ per peccatum suum creârint; (4) eos, qui officio suo desunt, monere, hortari, arguere; (5) dare monita salutis; ut personarum, & rerum, conditio tulerit.

Prædica verbum; insta opportune, importune: argue, obsecra, increpa in omni patientia, & doctrina. 2. Tim. 4. v. 2.

ERRORES

Hic duo occurrunt oppositi; alter *nimis rigidorum*, è Jansenii, & Quesnelli, ludo potissimum prodeuntium; qui severius, & diutius æquo, absolutionem denegant, aut differunt. Alter *nimis laxorum*, qui in expendenda pœnitentis dispositione sunt nimis remissi, & in concedenda absolutione æquo faciliores.

Cavenda est conscientia nimis larga, & nimis stricta. Prima generat presumptionem, secunda desperationem: prima sæpè salvat damnandum: secunda contra damnat salvandum. S. Bonavent. Lib. 2. Compend. Theol. verit. Cap. 58.

PROPOSITIONES DAMNATÆ.

Quesnelli 87ma: *Modus plenus sapientiâ, lumine, & charitate est, dare animabus tempus portandi cum humilitate, & sentiendi statum peccati, petendi spiritum pœnitentiæ, & contritionis, & incipiendi ad minus satisfacere justitiæ Dei, antequam reconcilientur.*

88va: *Ignoramus, quid sit peccatum, & vera pœnitentiæ: quando volumus statim restitui possessioni honorum illorum, quibus nos peccatum spoliavit, & detrectamus separationis istius ferre confusionem.*

Ab Alexand. VII. 41ma: *Non est obligandus concubinarium ad ejiciendam concubinam, si hac nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarij, vulgò REGALO; dum deficiente illâ, nimis agrè ageret vitam, & alia epula tadio magno concubinarium afficerent; & alia famula nimis difficile inveniretur.* Ab

Ab Innoc. XI. 6oma: *Pœnitenti, habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ, aut Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio, dummodo ore proferat, se dolere, & emendationem proponere.*

6 ma: *Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest, & non vult, dimittere, quin imò directe, & ex proposito quarit, aut ei se ingerit.*

6 ta: *Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia mysteriorum fidei, & etiamsi per ignorantiam, etiam culpabilem, nesciat mysterium sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis Domini vestri JESU Christi.*

QUÆSTIONES.

1. An vitioso habitu laborans non sit absolvendus priùs, quàm cum penitus extirpaverit, & extirpatum longi temporis emendatione probaverit.

2. Quandonam, & quibus ex causis, moderata procrastinatio absolutionis possit esse conveniens, & salutaris.

3. Quid exigendum à peccatore publico antè, quàm ad absolutionem admittatur.

4. An, & quâ conditione, absolvi possit moribundus, nulla potens edere doloris signa; primò quidem is, qui aliàs Christianè vixit, deinde etiam, qui fuit peccator publicus.

5. An absolvi possit, qui versatur in occasionibus, quæ per accidens sint causa peccati.

E. g. Qui versatur in officio, vel negotiatione; cujus occasione committat multas injustitias.

6. Utrùm, qui choreas, & comœdias, nolunt vitare.

SECTIO VII.

De satisfactionibus, & Pœnitentiis.

DOGMATA.

1. Falsum omnino, & à Verbo DEI alienum est, culpam

pam à Domino nunquam remitti, quin universa etiam pœna condonetur. *Trid. Sess. 14. Cap. 8. & Can. 12.*

2. Non est fictio, quòd, virtute clavium sublatâ, pœnâ aternâ, pœna temporalis plerumque exolvenda remaneat. *Ibid. Can. 15.*
3. Pro peccatis, quoad pœnam temporalem DEO per Christi merita satisfit variis modis; ut pœnis, ab eo inflictis, & patienter toleratis; vel à sacerdote injunctis; aut spontè susceptis, ut jejniis, orationibus, eleëmofynis, vel aliis etiam pietatis operibus. *Ibid. Cap. 9. & Can. 13.*
4. Satisfactiones, quibus pœnitentes per Christum JESUM peccata redimunt, neque obscurant doctrinam de gratia, neque verum Dei cultum, neque ipsum beneficium mortis Christi. *Ibid. Cap. 8. & Can. 14.*
5. Debent ergo Sacerdotes Domini, quantum spiritus, & prudentia suggesserit, salutare satisfactiones injungere. *Ibid. Cap. 8.*
6. Satisfactio hæc debet imprimis esse pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate conveniens. *Ibid.*

Nam qui peccatis gravibus leves quosdam, & inusitados imponunt pœnitentia modos; consuunt pulvillos, secundum propheticum sermonem, sub omni cubito manus, & faciunt cervicalia sub capite universæ aetatis ad capiendos animos. Synod. Mogunt. sub Rabano

bano Mauro Episcopo, anno 847. *Tom. 5 Concil. edit. Harduin. vel Tom. 8. edit. Labbæ.*

7. Deinde non sit tantum ad novæ vitæ custodiam, & infirmitatis medicamentum; *Ibid.*
8. Sed etiam tertio, ad præteritorum vindictam, & castigationem. *Ibid.*

EARUM FRUCTUS.

9. Magnopere à peccato revocant, & quasi fræno quodam coercent hæ satisfactoriæ pænæ, cautioresque, & vigilantiores in futurum, pœnitentes efficiunt. *Ibid.*
10. Medentur quoque peccatorum reliquiis, & vitiosos habitus, malè vivendo comparatos, contrariis virtutum actionibus tollunt. *Ibid.*

Sortiuntur quippe vi Sacramenti, cujus sunt pars integrans, virtutem delendi ex opere operato pœnarum temporariarum, condonatâ culpâ relictarum, partem; majorem quidem, si majores, minorem, si minores fuerint.

DISCIPLINA.

1. Pœnitentia alia est *privata*, quæ semper in Ecclesia viguit, & vigebit.
2. Alia est *publica*, quæ primis Ecclesiæ sæculis viguit.

Suggeretur hic brevis quædam historica notitia modorum, & graduum pœnitentiæ publicæ ex Morino *Lib. 6. de Pœnit.*, vel Cabbasutio *Notitia Ecclesiast. Sac. II. Diss. 8.*, vel Thomassino *vet. & nov. Eccles. discip. Part. 1. L. 2. Cap. 7.* vel Edmundo Simonet *Tom. 9. de Pœnit. Disp. 11.*, vel alius probatis auctoribus.

Commendabitur etiam auditoribus veterum Canonum poenitentialium lectio; quæ futuris sacerdotibus poterit uiui esse; tum ut poenitentibus, graua crimina adferentibus, possint ad concitandam in eis maiorem compunctionem exponere, quàm longa, & grauis in eiusmodi delicta olim statuta fuerit poenitentia publica; tum etiam, ut discant poenitentia, pro qualitate criminum, & facultate poenitentium, temperanda modum; uti monuit Ss. D. N. Benedictus XIV. in *Epist. Encycl. de Iubileo anni 1750.*

3. Poenitentiam publicam sicut iustis, & grauibus de causis instituit Ecclesia sub initium, ita posterioribus temporibus potuit eam iustis pariter de causis abrogare.

ERRORES

Varios Novatorum huius temporis refert, & damnat Tridentinum *Sess. 14*, ut (1) totam poenam simul cum culpa remitti semper à Deo; (2) esse figmentum, quòd, sublatâ, virtute clauium, poenâ æternâ, poena plerumque temporalis remaneat; (3) Satisfactionem poenitentium non esse aliam, quàm fidem, quâ apprehendunt Christum pro eis satisfecisse; (4) Sacerdotes, dum imponunt poenas confitentibus, agere contra fidem clauium, & contra institutionem Christi; (5) huiusmodi satisfactionibus nostris vim meriti, & passionis D. N. JESU CHRISTI, vel obscurari, vel imminui; (6) Eas non esse cultum Dei, sed traditiones hominum; (7) Sacramentum poenitentia per eas converti in forum ira, & poenarum; (8) sinè illis optimam poenitentiam tantum esse novam vitam.

Præterea rigidorum quorundam, ex Jansenii, & Quesnelli discipulis, error est, absolutionem non esse tribuendam poenitentibus, nisi post peractam satisfactionem, eamque diurnam.

Joan.

Joannes
concedit, a
re, ejusden
nare, & ecc
Baji 770
expiare de co
lenam.
Ab Ale
nem absolut
Christi lex
flante.
17ma:
inverjus.
18va:
ti poeniten
tas, & m
fia non h
Ab A
tuere sibi
1. Qua
fuit, laus
2. Qu
publicis.
3. Ana
ob peccat
4. An
absolutio
5. Utr
tuo Sace

Joannes Obſtraet in *Differt. de Converſ. peccatoris Q. 3. Cap. 4.* contendit, abrogatâ jam exteriore diſciplinâ pœnitentiæ publicæ, ejuſdem tamen modum, & ordinem retinendum in interiore, & ſecretâ adminiſtratione Sacramenti pœnitentiæ.

PROPOSITIONES DAMNATÆ.

Baji 77ma: *Satisfactiones laborioſe juſtificarum non valent expiare de condigno pœnam temporalem reſtantem poſt culpam condonatam.*

Ab Alexand. VIII. 16ta: *Ordinem præmittendi ſatisfactionem abſolutioni induxit, non politia, aut inſtitutio Eccleſiæ, ſed ipſa Chriſti lex, & præſcriptio, naturâ rei quodammodo id ipſum dettante.*

17ma: *Per illam praxin mox abſolvendi ordo pœnitentiæ eſt inverſus.*

18va: *Conſuetudo moderna quoad adminiſtrationem Sacramenti pœnitentiæ, etiamſi eam plurimorum hominum ſuſtentet auctoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet; nihilominus ab Eccleſiâ non habetur pro uſu, ſed abuſu.*

Ab Alexand. VII. 15ta: *Pœnitens propriâ auctoritate ſubſtituere ſibi alium poteſt, qui loco ipſius pœnitentiam adimpleat.*

QUÆSTIONES.

1. Quænam opera pia imperari utiliter pœnitentibus poſſint, ſatisfactionis nomine.

2. Quantum temporis fuerit olim præſinitum pœnitentiis publicis.

3. An ad has condemnati, vel ſaltem admiſſi, fuerint quidam ob peccata merè occulta. An etiam Clerici.

4. An ante expletum pœnitentiæ publicæ tempus fuerint ad abſolutionem ſacramentalem, & S. Synaxia admiſſi.

5. Utrum, & quibus conditionibus, poſſit pœnitentia, ab altero Sacerdote injuncta, commutari.

6. Utrum hanc explere quis possit per alium.

7. Utrum ei satisfieri possit ab existente in peccato mortali.

SECTIO VII.

De Remissionibus, & Indulgentiis.

PRINCIPIA PRÆVIA.

1. *Indulgentia* in Ss. Scripturis aliquando *remissionem* significat. Ita, quod Isaia 61. v. 2. dicitur, *Predicare captivis indulgentiam*, S. Lucas c. 4. v. 19. vertit: *Predicare captivis remissionem*. Aliquando *lenitatem*, benignitatem, aut facilitatem: ut I. Cor. 7. v. 6. *Hoc autem dico secundum indulgentiam*.
2. Hæc in materia *Indulgentias* Ecclesia Catholica vocat *remissiones pœnarum*, quæ sæpè remanent *luenda*, post *remissionem culparum*; quas remissiones Ecclesiæ Rectores, ex paterna lenitate in filios suos, justis de causis, concedere aliquando solent.
3. Cæteras verò inter indulgentias celeberrimæ Catholicis sunt illæ, quas *Jubilai* vocant.

DOGMATA.

1. Est in Ecclesia infinitus thesaurus meritorum Christi. Constit. Clem. VI, *Unigenitus* inter Extrav. Comm.
2. Ad cujus quidem thesauri cumulum beatæ Dei Genitricis, omnium Electorùm, à primo justo usque
ulti-

ultimum, merita adnunculum præstare noscuntur. *Ibid.*

3. Quem thesaurum Christus per B. Petrum, ejusque Successores, suos in terris Vicarios, commisit fidelibus salubriter dispensandum. *Ibid.*
4. Concessam sibi divinitus potestatem, conferendi ex hoc thesauro indulgentias, constanter agnovit Ecclesia, eaque antiquissimis etiam temporibus usa fuit. *Trid. Sess. 25. Decret. de Indulg.*
5. Indulgentiarum usus, Christiano populo maximè salutaris, & sacrorum Conciliorum auctoritate probatus, in Ecclesia retinendus est. *Trid. ibid.*

Ubi & sacra Synodus eos damnat, qui, aut inutiles esse indulgentias asserunt, vel eas concedendi potestatem in Ecclesia esse, negant.

DISCIPLINA.

1. In his tamen concedendis moderationem, juxta veterem, & probatam in Ecclesia consuetudinem, adhiberi cupit; ne nimiâ facilitate ecclesiastica disciplina enervetur. *Trid. ibid.*
2. Abusus verò, qui in his irrepsit, & quorum occasione insigne hoc indulgentiarum nomen blasphematur ab hæreticis, emendatos, & correctos cupit. *Ibid.*
3. Ac præsertim pravos quæstus omnes in his consequendis, unde plurima in Christiano populo abusu

usuum causa fluxit, omnino abolendos esse, generaliter statuit, non modò Tridentinum, *l. c.*, & *Sess. 21. Cap. 9. de reform.* Sed etiam Concilium Lateranense *Cap. Cùm ex eo 14. de Pœnit. & Remiss.*, & Viennense *Clem. Abusionibus 2. eod.*

ERRORES.

1. Indulgentias primi contempserunt Waldenses, ut refert Turrecremata, *Lib. 4. Summa, Part. 2. Cap. 35.* & fatetur Kemnitijs *Part. 4. Examinis pag. 375.* Hos secutus Wicleff *Artic. 42.* Wicleffi vestigijs institere Hussitæ, teste Joanne Cochleæ *Lib. 1. de Histor. Hussit.* Majores hos habuit Martin. Lutherus, qui ab Indulgentiarum oppugnatione sectæ suæ initium fecit, in Articulis damnatis à Leone X. *Artic. 17. & 5. seqq.* & initio *Lib. de Captivitat. Babyl.* Copiosius præter cæteros Lutheri discipulos eas oppugnat Calvinus *Instit. Lib. 3. Cap. 5. & alibi sæpè,* copiosissime Kemnitijs *Part. 4. Examinis Trid.* Videtur & Tertullianus, jam prolapsus in hæresin, negasse Martyrum meritis vim satisfaciendi pro alijs. Nam *Lib. de Pudicit. Cap. 22.* ait: *Sufficiat Martyri propria delicta purgasse, & paulò post alloquens Martyrem: Si peccator es, quomodo oleum facule tuæ sufficere, & tibi, & mihi, poterit?*

PROPOSITIONES DAMNATÆ.

A Synodo Complutensi anno 1479, & Sixto IV., damnata Petri Oxymensis conclusio sexta, quod Papa non potest indulgere alicui vivo penam purgatorii.

Bajæ 60ma: Per Passiones Sanctorum, in indulgentiis communicatas, non proprie redimuntur nostra delicta: sed per communionem charitatis nobis eorum passiones impartuntur, ut digni simus, qui precio sanguinis Christi à pœnis pro delictis liberemur.

QUÆ.

QUÆSTIONES.

De indulgentiis ipsis.

1. Utrum temporibus Apostolorum, & primæ Ecclesiæ, concessæ fuerint indulgentiæ ejusdem generis, cujus sunt nostræ.
 2. An indulgentiæ fidelibus vivis concedantur per modum *solutionis*, an *absolutionis*, an *utriusque*.
 3. Quo modo concedantur defunctis.
 4. Quid intelligatur per indulgentiam *plenariam*, *plenioram*, *plenissimam*.
 5. Quid propriè sit indulgentia *partialis*, e. g. unius anni, *carenæ*, vel *quadragenæ*.
- Reliquæ Indulgentiarum divisiones paucis exponi poterunt.

De Dispensatore indulgentiarum.

1. An in concedente indulgentias requiratur *jurisdictio*, & *justa causa*.
2. Quænam causa censeatur *justa*. Et quibus videatur ex causis Ecclesia hodie esse in concedendis indulgentiis *liberalior*, quàm olim.
3. Quantam potestatem concedendi indulgentias habeat *summus Pontifex*.
4. Quantam *Episcopi inferiores*.
5. Quantam *Concilia œcumenica*.
6. An *Abbatibus*, *Prælati regulares*, & *Parochi*, possint concedere indulgentias.

De suscipiente indulgentias.

Convenit satis inter omnes catholicos, ad fructum indulgentiarum consequendum requiri, ut eum percipere cupiens sit in *statu gratiæ*, & integrè perficiat opera præscripta,

1. An status gratiæ requiratur, dum peraguntur opera præscripta, an tantum, dum fructus percipitur.

2. Utrum, & quando, peccatum veniale impediatur fructum indulgentiæ.

3. An, qui morbo, vel aliter, impeditus nequit explere omnia opera præscripta, fiat indulgentiarum particeps.

4. An, & quando ad indulgentias obtinendas necessaria sit confessio.

5. Utrum ad indulgentiæ plenariæ fructum obtinendum in suscipiente, præter statum gratiæ, & perfectionem operum præscriptorum integram, necessarium sit propositum satisfaciendi per semetipsum Deo congruè, quò ad poterit.

Pro parte agente pugnant apertè Cajetanus *Tract. 10. de suscipientibus indulgentias Q. 1.* Bartholomæus Fumus in *Armilla Verb. Indulgentia. Num. 4. 10. 12. 13.*, & nuper acerrimè D. Eusebius Amort, in *Tract. de Pœnit. Disp. 6. Q. 2.*

A parte negante stat D. Thom. in *4. Dist. 20. Q. 1. Art. 3. quæstiunc. 1.*, cum communiore, ut fatetur Cajetanus, Petrus de Soto, & ipse D. Amort *ad object. 2.*

Utraque sententia consentit, ità prædicandam esse fidelibus Indulgentiarum salubritatem, & utilitatem; ut moneantur tamen, ne iis præfidentes, languescant in satisfactionis Deo præstandæ, & pœnitentiæ totâ vitâ agendæ, studio.

De effectu indulgentiarum.

Consentiunt Catholici, per indulgentias non liberari hominem *reatu culpæ, pœnis peccati originis, censuris Ecclesiasticis*, in foro externo injunctis.

1. An indulgentiæ liberent hominem pœnitentiâ, in foro interiori Sacramenti pœnitentiæ injunctâ.

2. An pœnitentia, quæ per antiquos Ecclesiæ canones certis peccatis imposita est, vel imponi deberet.

3. An

3. An liberent hominem reatu pœnæ tantum coram Ecclesiâ, non coram Deo.

4. An solum remittant pœnitentias, per ministros Ecclesiæ impositas, non verò pœnas ipsas, in iudicio Dei debitas.

5. An indulgentiæ non valeant, nisi pro mensura devotionis in suscipiente.

6. An valeant solummodo tantum, quantum opus injunctum *per se* ad satisfaciendum prodest.

7. An existens in peccato veniali non possit percipere fructum indulgentiæ, quoad remissionem pœnæ, aliis culpis jam remissis debitæ.

8. Quomodo intelligendum axioma priscorum Theologorum: *Indulgentiæ tantum valent, quantum sonant.*

9. Utrum indulgentiæ, defunctis concessæ, infallibiter liberent animam unam ex igne purgante, & eam quidem, quam opus præscriptum exequens determinat.

Poterit demùm subnecti brevis doctrina historica, & polemica de origine, progressu, privilegiis Jubilæi; & Indulgentiis Cruciatæ, aliisque celebrioribus. Quæstiones de indulgentiis practicæ relinquentur Theologiæ morali.

PARS II.

De Sacramento extremae Unctionis, & Ordinis.

SECTIO I.

De extrema Unctione.

DOGMATA.

1. Extrema unctio est verè, & propriè Sacramentum à Christo Domino institutum, & à B. Jacobo Apostolo promulgatum. Concil. Flor. *in Decr. Arm.*

Trid. Sess. 14. Proëm. Cap. 1., & Can. 1. de
Sacram. extr. unct.

2. Nec verò tanti Sacramenti contemptus absque ingenti scelere, & ipsius Spiritus sancti injuriâ, fieri potest. Trid. *ibid.* Cap. 3., & Can. 3.
3. Materiam, formam, proprium ministrum, & effectum, hujus salutaris Sacramenti, ut ex Apostolica traditione, per manus traditâ, Ecclesia dilicit, docet Jacobus Apostolus his verbis: *Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros Ecclesia, & orent super eum, ungentes eum oleo, in nomine Domini; & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit, dimittentur ei.* Jac. 5. v. 14. & 15. Trid. Sess. & Cap. 1. cit.

Materia, & Forma.

4. Intellexit enim Ecclesia, materiam esse oleum, ab Episcopo benedictum... Formam illa verba: *Per istam unctionem &c.* Flor. Decret. Arm. Trid. Cap. 1. cit.

Minister.

5. Ministros verò hujus Sacramenti proprios esse Ecclesie Presbyteros, quo nomine eo loco, non ætate seniores, aut primores in populo, intelligendi veniunt, sed aut Episcopi, aut Sacerdotes, ab ipsis ritè ordinati. Trid. *ibid.* Cap. 3. & Can. 4.

Sub-

Subiectum.

- 6. Et hanc unctiōnem infirmis adhibendam, illis verò præsertim, qui tam periculosè decumbunt, ut in exitu vitæ constituti videantur. *Trid. Cap. 3. cit.*
- 7. Quòd si infirmi post susceptam hanc unctiōnem convaluerint; iterum hujus Sacramenti subsidio juvari poterunt, cùm in aliud simile discrimen inciderint. *Ibid.*

Effectus.

- 8. Res hujus Sacramenti est gratia Spiritûs sancti, cujus unctio delicta, si quæ sint adhuc expianda, ac peccati reliquias, abstergit; & ægroti animam alleviat, & confirmat, contra tentationes dæmonis roborat. *Trid. Cap. 3. cit. & Can. 2.*
- 9. Et sanitatem corporis interdum, ubi salutem animæ expedit, consequitur ægrotus. *Ibid.*
- 10. Non fuit olim tantùm gratia curationum, quæ jam cesset. *Ibid.*

ERRORES.

Extremam unctiōnem è Sacramentorum numero expunctam voluere (1.) Waldenses, teste *Æncâ Sylvio Lib. de Orig. Bœmorum Cap. 35.* & Alano apud Thomam Waldens. *Tom. 2. Cap. 133.* Quamquam Reynerius, agens de Waldensibus, non tam negasse eos hoc Sacramentum dicat, quàm questos, quòd tantùm divitibus conferatur. (2.) Albigenses, teste S. Antonino *Sum. Theol. Part. 4. Tit. 11. Cap. 7. § 5.* (3.) Wicleffus, ut satis de semet testatur ipse *Lib. 4. Trialogi Cap. 25.*, & refert Thomas

mas Waldensis *Cap. 163. cit.* (4.) Lutherus *de Captivitat. Babyl.*
Cap. de extrema unctio, Calvinus *Lib. 4. Instit. Cap. 19. à §. 18.*
 quamvis negare non possint, perantiquum in Ecclesia esse æ-
 gros inungendi ritum; negant tamen, Sacramentum esse: sed
 vel figmentum esse humanum, vel ritum à Patribus acceptum,
 nec mandatum Dei, nec promissionem gratiæ habentem; vel
 illum ad gratiam curationum duntaxat in primitiva Ecclesia
 referendum esse, quæ jam cesset. *Trid. loc. cit. Cap. 3.*

QUÆSTIONES.

1. An Ecclesia semper, & tanquam ex necessitate, ad valo-
 rem Sacramenti adhibuerit olim plures ad ægrotum inungend-
 um Presbyteros.

2. An Græci, ægro uncto, sanos circumstantes etiam ungen-
 tes, mentis sint, his idem Sacramentum impertiri.

3. Quænam delicta abstergat hoc Sacramentum *per se*, &
an per accidens abstergat aliquando peccata mortalia.

4. Quænam sint illæ peccati reliquiæ, quas dicitur abster-
 gere.

5. An sanitatem corporis conferat *per se*, & ex opere ope-
 rato.

Reliqua ad praxin pertinentia relinquuntur Theologiæ
 morali.

SECTIO II.

De Sacramento Ordinis.

De Hierarchia Ecclesiasticâ jurisdictionis, ab uno
 supremo Capite ad cæteros Ecclesiasticorum Rectores
 descendente, disputatur in Tractatu de Fide, & Ec-
 clesia. Hoc loco agitur de sola *Hierarchia Eccle-
 siastica Sacramenti Ordinis.*

1. Cùm in novo Testamento sanctum Eucharistiæ sacrificium visibile, ex Domini institutione, catholica Ecclesia acceperit: fateri etiam oportet, in ea novum esse visibile, & externum Sacerdotium, in quod vetus translatum est. *Trid. Sess. 23. Cap. 1. & Can. 1.*
2. Cùm autem divina res sit tam sancti Sacerdotii ministerium, consentaneum fuit..., ut in Ecclesiæ ordinatissimâ dispositione plures, & diversi essent ministrorum ordines, qui sacerdotio ex officio deservirent. *Trid. ibid. Cap. 2. & Can. 2.*

Scopus, ad quem ordines reliqui omnes collimant, & referuntur, est primò, & præcipuè *Potestas consecrandi, & offerendi verum corpus, & sanguinem Domini, & deinde peccata remittendi, & retinendi.* *Trid. ibid. Can. 1.*

Sunt autem Ordines diversi ita distributi, ut qui jam clericali tonsurâ insigniti essent, per minores & majores ascenderent. *Trid. Cap. 2. cit.*

Ab ipso Ecclesiæ (saltem latinæ) initio sequentium (minorum) ordinum nomina, atque uniuscujusque eorum propria ministeria. Subdiaconi scilicet, Acolyths, Exorcistæ, Lectoris, & Ostiarii, in usu fuisse cognoscuntur, quamvis non pari gradu. Nam subdiaconatus ad majores Ordines à Patribus, & Conciliis refertur. *Ibid.*

Majores Ordines sunt (nunc cum Subdiaconatu) Diaconatus, Sacerdotium, Episcopatus.

3. Cùm Scripturæ testimonio (*1. Tim. 4. v. 14. & 2. Tim. 1. v. 6.*) & Apostolicâ traditione, & Patrum unanimi consensu perspicuum sit, per sacram ordi-
- natio-

- nationem, quæ verbis, & signis exterioribus, perficitur, gratiam conferri: dubitare nemo debet, ordinem esse verè, & propriè unum ex septem sanctæ Ecclesiæ Sacramentis. Trid. *ibid.* Cap. 3. & Can. 3.
4. Cujus materia est illud, per cujus traditionem confertur Ordo. Concil. Florent. *in Decret. Armen.* Formā certis in verbis consistit.
Materia, & Forma ordinis quamvis alia sit in Ecclesia latina, alia in græca: non est tamen diversitas in substantia. *Videri potest Bened. XIV. de Synod. L. 7. Cap. 25.*
 5. Ordinarius minister hujus Sacramenti est Episcopus. Conc. Flor. *ibid.*
 6. Effectus, augmentum gratiæ, ut quis sit idoneus minister. Florent. *ibid.* & Trid. *Can. 4.*
 7. Præterea in Sacramento ordinis, sicut & in Baptismo, & confirmatione, character imprimitur, qui nec deleri, nec auferri potest. Florent. *ibid.* & Trid. *Cap. 4.*
 8. Quare semel ritè ordinati, iterum laici effici non possunt. Trid. *ibid.*
 9. Præter cæteros ecclesiasticos gradus Episcopi, qui in Apostolorum locum successerunt, ad hunc hierarchicum ordinem præcipuè pertinent, positi, ut Apostolus ait, à Spiritu sancto regere Ecclesiam Dei. Trid. *ibid.*
 10. Sunt Presbyteris superiores. *Ibid.*
 11. Sacramentum Confirmationis conferre, ministros

Ecclesiæ ordinare, atque alia pleraque peragere possunt; quarum functionum potestatem reliqui inferioris Ordinis nullam habent.

ERRORES

Lutheri, & aſſeclarum ejus, circa hoc Sacramentum varios perſtringit Tridentinum hæc eâdem Sels. 23^{tiâ}; ut (1.) Ordinem non eſſe Sacramentum à Chriſto inſtitutum, ſed vel eſſe figmentum humanum, vel eſſe tantum ritum quendam eligendi miniſtros Verbi Dei, & Sacramentorum. (2.) Non conferri per illum Spiritum ſanctum, nec imprimi characterem; ſed ſemel ordinatum fieri iterum laicum poſſe, ſi Verbi Dei miniſterium non exerceât. (3.) Omnes Chriſtianos promiſcuè novi Teſtamenti ſacerdotes eſſe, & omnes pari inter ſe ſpirituâli potestate præditos. (4.) Eccleſiæ autem miniſtros fieri eos, qui tantummodo à populo, aut ſæculari potestate, ac magiſtratu vocati, & inſtituti, ad hæc miniſteria exercenda aſcendunt. (5.) Episcopos non eſſe Presbyteris ſuperiores, nec habere potestatem ullam, quæ illis cum Presbyteris communis non ſit. Illorum ordinationem, ſinè populi, vel potestatis ſæcularis conſenſu, aut vocarione, irritam eſſe. Episcopos à Papa aſſumptos non eſſe veros, & legitimos &c.

QUÆSTIONES.

1. An Ordines Chriſtus Dominus inſtituerit ſingulos in ſemetiſiſ; an in aliquo communi, cæteros continente, per eminentiam, e. g. in Episcopatu, vel Sacerdotio,
2. An Chriſtus, vel Apoſtoli, quemquam ordinârint unicâ ordinatione, omnes reliquas continente.
3. An omnes ordines ſint Sacramentum.

Ubi quæ ex communi Catholicorum conſenſu certâ fide teneri debent, ſeperabuntur ab iis, quæ ſunt minùs certa.

4. An

4. An Episcopatus sit ordo à Sacerdotio ex asse distinctus an ejus ultimum complementum.

5. Quis sit verus sensus effati Hieronymiani: *Olim idem erat Presbyter, qui & Episcopus Can. 5 dist. 95.*

6. Quinam, & cur, dicantur Ordines sacri: & ex quo tempore subdiaconatus sacer esse cœperit.

Defendetur hoc loco aduersus Novatores vetustissima Ecclesiæ Romanæ disciplina, sacris Ordinibus initiatos ad cœlibatum, & castitatem, voto obstringentis. Exponetur item paucis, quæ fuerit olim, & jam sit, Ecclesiæ græcæ hoc in negotio disciplina.

7. An in Ecclesia latina præter χειροτονίαν, sive χειροθεσίαν, id est, manuum impositionem, alia sit materia ordinis.

8. Quænam in subjecto ordinando necessariæ sint conditiones ad ordines singulos, tum validè, tum licitè, suscipiendos.

9. Quid sentiendum de valore Ordinis collati ab hæreticis, schismaticis, & excommunicatis Episcopis.

Ubi de Ordinationibus hodiernis Anglicanis, & Jansenianis.

Subiungi his posset disputatio de Censuris, & Irregularitatibus: sed, ne fiat hic Tractatus prolixior, relinquetur Theologiæ morali.

PARS III.

De Sacramento Matrimonii.

Matrimonium est viri, & mulieris conjunctio, individuanam vitæ consuetudinem continens. *S. I.*

Inst. de Patr. Potest. Cap. II. de præsumpt.

Iis solis, quæ ad catholicam de Matrimonio doctrinam defendendam pertinent, hoc loco delibatis; cætera permittentur Theologiæ morali, & Juri Canonico.

SE-

SECTIO I.

*An Matrimonium sit honestum, & in novâ Lege
Sacramentum.*

DOGmata.

1. Nuptiarum auctor est Deus. Gen. 2. v. 18. *Non est bonum, esse hominem solum: faciamus ie adju- torium simile sibi.*
2. Bonum, & honestum est matrimonium. *Matth. 19. v. 7. 1. Cor. 7. v. 28. 36. 38. 1. Tim. 4. v. 2. 3. Hebr. 13. v. 4.*
3. Non tamen virginitate, & cœlibatu, melius. *1. Cor. 7. Trid. Sess. 24. Can. 10.*
4. In lege Evangelicâ est verè propriè unum ex septena hujus legis Sacramentis, à Christo Domino institu- tum, & gratiam conferens. *Concil. Florent. & Trid. Sess. 24.*

ERRORES.

(1.) Simon magus, nuptias à Deo institutas negans, docuit, promiscuum fœminarum usum esse licitum, teste S. Augustino *Lib. de Hæres. Cap. 1.* Eundem errorem amplexi sunt Nicolaitæ, ut refert Eusebius *Lib. 3. Eccl. Hist. Cap. 29.*, & posterioribus sæ- culis Adamitæ, teste Ænea Sylvio *lib. de Orig. Boëm*; Walden- ses, teste Guidone Carmelitâ; nec prorsus eo immunes viden- tur Anabaptistæ. (2.) Saturninus apertè asseruit, teste Irenæo *Lib. 1. Cap. 22.*, nubere, & liberos gignere, à diabolo esse. Mar- cionem, & Manichæum, in eâdem hæresi fuisse, ut nuptias dice-
rent

serent illicitas, innuit S. Hieronymus *Lib. 1. contra Jovinian. sub init.* Tatianum ejusdem erroris patronum asserit Irenæus *Lib. 1. Cap. 30.* Tatianum ducem secuti *Encratitæ*, id est, quati *Continentes*, de quibus Piphanius *Hæresi 46.* & Augustinus *Hæres. 25.* (3.) Basilides, Jovinianus, & Helvidius, negârunt, virginitatem esse majoris meriti, quàm conjugium; quos confutavit S. Hieronymus, *Libb. contra Helvid., & Jovin.* Martinus Lutherus longius progressus, satis non habuit, exæquare nuptias virginitati; sed eam non dubitavit etiam dicere malam, & præcepto divino contrariam, in *Libro de vita conjugali*, ubi hæc habet: *Crescite, & multiplicamini, non est præceptum, sed plus quàm præceptum, quod nos non possumus impedire, vel prætere-tere; sed perinde necessarium est, & magis necessarium, quàm edere, & bibere &c.* (4.) Idem *Lib. de Captiv. Babylon. de Matrim.* negat, Matrimonium Sacramentum esse, Calvinus *Lib. 4. Inst. Cap. 19. §. 34*, non magis, ait, Sacramenti rationem matrimonio convenire, quàm agriculturæ, constrinæ, aut sutoriæ arti.

QUÆSTIONES.

1. Quæ sit materia, & forma Sacramenti Matrimonii.
2. Quis ejus minister. *Videri potest Bened. XIV. de Synod. Lib. 7. Cap. 27. & 28.*
3. Quas gratias conferat illud dignè suscipientibus.
4. An omne Matrimonium, inter Christianos legitime celebratum, sit etiam continuè Sacramentum.

Ubi examinabitur sententia Cani, *Lib. 8. Loc. Theol. Cap. 5.* affirmantis, non omne Matrimonium, inter Christianos legitime contractum, esse Sacramentum, sed illud solum, quod à Ministro Ecclesiastico solennibus verbis ratum sit.

SECTIO II.

De Monogamia, in Christi Lege divinitus instituta, eaque indissolubili.

1. Lege divinâ prohibitum est Christianis, plures simul habere uxores. *Trid. Sess. 24. Can. 2.*
2. Vinculum matrimonii rati, & consummati, inter Christianos non dissolvitur, nisi morte alterutrius conjugis. *Matth. 5. v. 32. & 19. v. 6. & 9. Marti 10. v. 8. 9. 11. 12. I. Cor. 7. v. 10. 11. Concil. Florent. Decret. Armen.*
3. Matrimonium autem *infidelium*, dissolvi potest. *1. Cor. 7. v. 13. & seqq.*
4. Matrimonium *Christianorum* ratum, non consummatum, per solennem religionis professionem alterius conjugum dirimitur. *Trid. Sess. 24. Can. 6.*
5. Rati verò, & consummati, vinculum, neque ob hæresin, neque ob molestam cohabitationem, neque ob affectatam absentiam, neque propter adulterium alterius conjugum, potest dissolvi. *Ibid. Can. 5. & 7.*
6. Potest tamen multas ob causas fieri separatio conjugum, quò ad thorum, seu quò ad cohabitationem, ad certum, incertumve tempus. *Ibid. Can. 8.*
7. Mortuo alterutro conjugè, fas est parti superstiti

transire ad alias nuptias. *1. Cor. 7. v. 39. Rom. 7. v. 2 3.*

ERRORES.

(1.) Lutherus in explicatione Geneseos, *in Cap. 16.*, multis disputat, utrum Christianis exemplo, Abrahamæ liceat plures simul uxores habere; ac tandem respondet, id neque esse præceptum, nec prohibitum, sed liberum: & se quidem nolle hanc consuetu linem introducere, sed nec improbare posse, cum exempla Patrum adhuc sint libera. Similia dicit in propositionibus de polygonia Episcoporum, proposit. 65. & 66. Lutheri doctrinam amplectuntur Anabaptistæ, fatente Kemnitio *Part. 2. Examin.* (2.) Montanum sensisse, posse nuptiarum vinculum pro conjugum arbitrio dissolvi, refert Eusebius *Lib. 5. Hist. Eccles. Cap. 18.* Græci, & Armeni schismatici, sentiunt, ex causa fornicationis posse conjugem innocentem non solum separari à conjugè quò ad thorum, sed etiam quò ad vinculum, & aliud matrimonium inire. Lutherus *in Cap. 7. prioris ad Corinthios*, non tantum propter fornicationem, sed etiam multas alias ob causas, dicit, solvi posse matrimonium, & aliud iniri; ut si conjux conjugem ad furtum, aut aliud peccatum, inducat; si ob frequentes rixas sit molesta cohabitatio; si alter diu absit. Libro *de causis Matrim.* addit aliam; si dives cum paupere matrimonium ineat, & consummet, nec possit eam retinere ob amicorum contradictiones. Kemnitius *in Cap. 19. Matthæi* idem permittit, quacunque de causâ sibi conjuges invicem displiceant. Melanchthon *in locis Theol. Tit. de matrim.* duabus tantum de causis hoc concedit; ob adulterium alterius conjugis, & ob injustam desertionem. Calvinus *in Cap. 19. Matthæi* vult quidem, vinculum matrimonii dirimi causâ adulterii, sed non admittit alias causas; nisi desertionem Fidelis, id est, Christiani, à conjugè infideli, sive non Christiano. Eandem sententiam ante ortam Lutheri factio-

factionem docuerat Erasmus, commentario in *Cap. 7. 1. Cor.* Eiusdem doctrinæ insimulantur à quibusdam Cajetanus, & Catharinus Catholici; verùm hi videntur tantùm sentisse, non posse ex Evangelio, & Apostolo, colligi, quòd non liceat causâ adulterii inire aliud matrimonium; fatentur tamen, id prohibitum variis canonibus. Denique subjiunt se iudicio Ecclesiæ, quæ nunc pronuntiavit in *Trid. Can. 5 & 7. cit. (3.)* Montanus, teste Augustino de *Heres. Cap. 26.* Tertullianus, ut patet ex ejus *Lib. de Monogamia*; Novatiani, teste Theodoro *Lib. 3. de Fabulis hereticor.*, docuerunt, secundas nuptias, post mortem alterius conjugis, esse illicitas.

QUÆSTIONES.

1. Quo jure irrita sit, vel illicita, polygamia; primò quidem unius viri habentis plures uxores; deinde unius mulieris, habentis plures viros.
2. Quomodo Patribus veteris testamenti permessa fuerit Polygamia.
3. Quo jure inter Christianos matrimonium ratum, & consummatum, sit indissolubile.

SECTIO III.

De subjecto Matrimonii, & ejus impedimentis.

Subjectum, Sacramenti Matrimonii capax, est omnis baptizatus, nullo impedimento dirimente juris, sive naturalis, sive divini, sive ecclesiastici, laborans.

DOGMATA.

1. Non soli ii consanguinitatis, & affinitatis, gradus, qui Levitico (*Cap. 18.*) exprimuntur, impediunt matrimonium contrahendum, & dirimunt contractum, *Trid. Sess. 24. Can. 3.*
2. Sed

2. Sed potest Ecclesia, sicut in nonnullis illorum dispensare, ita constituere, ut plures impediant, & dirimant. *Ibid. & Can. 4.*
3. Habet Ecclesia etiam potestatem, statuendi per legem Ecclesiasticam, ut in sacris ordinibus constituti, & Regulares, castitatem solenniter professi, non possint matrimonium contrahere. *Ibid. Can. 9.*
4. Atque alia plura impedimenta, matrimonium sive dirimentia, sive impedientia, sancienti. *Arg. Can. 12. ibid.*
5. Sacra Synodus damnat eos, qui falso affirmant, matrimonia, à filiis familias sine consensu parentum contracta, irrita esse, & parentes ea rata, vel irrita facere posse. *Trid. Sess. 24. Decret. de Ref. Matrim. Cap. 1.*
6. Causa Matrimoniales spectant ad iudices Ecclesiasticos. *Trid. Sess. ead. Can. 12.*

ERRORES.

(1.) Wicleffus *Lib. 4. Trialogi Cap. 20.* affirmat, conjugium impediri tantum primo gradu cognationis in *linea recta*; in *transversa* autem nullam esse prohibitionem; ac proinde inter fratres, & sorores, posse esse matrimonium, sicut fuit tempore primi hominis. (2.) Lutherus *Lib. de Captiv. Babyl. Cap. de Matrim.*, & Bucerus *in Cap. 19. Matth.* sola agnoscunt impedimenta graduum cognationis, & affinitatis, qui recensentur *Levit. cap. 18* reliqua, à jure Ecclesiastico addita, rejiciunt. Quoad impedimenta, in Levitico expressa, negant Ecclesie potestatem dispensandi;

spensandi; cū lex illa divina sit, non humana. Cujus etiam sententiæ fuerunt, qui Henrico VIII. Angliæ Regi, persuasere; non potuisse Romanum Pontificem dispensare, ut acciperet uxorem fratris sui mortui. (3.) Philippus Melancthon *in Lo- cis, tit. de Matrim.* Kemnitius *2. P. Exam.* dicunt, præter gradus Levitici, posse etiam ab Ecclesia prohiberi alios; modò fiat *servatâ libertate conscientie*, id est, ut non sit peccatum, si secus fiat. (4.) Brentius *in Confess. Wirtemb. Cap. de Conjugio, & in Apolog. ejusdem* vult quidem, in gradibus cognationis servandam legem civilem Imperatorum. Sed *in Commentariis ad Levit. cap. 18.* asserit, hos gradus nec petendos ex lege Mosaicâ, quippe quæ sit à Christo abrogata; nec ex lege Pontificiâ, cū Pontifex non habeat potestatem ferendi leges; nec ex lege Cæsaris; eò quod is, leges suas canonibus Pontificiis subjiciens, auctoritatem ipse quoque amiserit: cū ergo nulla alia reliqua sit lex, sectandam legem naturæ. Ad agnoscendum autem, qui gradus prohibiti sint jure naturæ, observari jubet, in quibus gradibus consentiant lex Mosis, & lex Imperatoris: hos enim censi debere jure naturæ prohibitos, in iisque nullam valere dispensationem. Non multò post tamen addit *ibidem*, solùm servandam esse legem naturæ in hoc negotio; sed etiam legem Imperatoris, consuetudinem loci, & arbitrium prudentium. (5.) Beza *in Lib. de repudiis & divortiiis*, primò sugillat modum supputandi gradus, quo utuntur Doctores canonici. Deinde dicit, legem Levitici esse servandam ex jure divino, nec solos illos gradus servandos ex jure divino, quos expressè habet Leviticus; sed etiam eos, qui à simili colliguntur. Leges civiles de gradibus cognationis ita servandas, ut prohibeant matrimonium *contrahendum*; non dirimant *contractum*. (6.) Lutherus, quamvis *Lib. 8. de Capt. Babyl. de Matrim.* agnoverit, votum continentie esse impedimentum matrimonii legitimum: id tamen in libris post scriptis negat constanter, & sententiam suam fa-

Et ipso, monachus uxorem sanctimoniam ducens, declaravit. Idem ejus discipuli verbis, & factis, docent in hunc diem.

PROPOSITIO DAMNATA.

Ab Innoc. XI. 9na: *Opus conjugii, ob solam voluptatem exercitum, omni penitus caret culpa, & defectu veniali.*

QUÆSTIONES.

1. Quænam in Ecclesia catholica sint impedimenta, tum *dirimentia* tum *impedientia*, matrimonium.

Particularia de his, ad praxin pertinentia, relinquuntur Theologiæ morali.

2. Quænam impedimenta introduxerit jus *naturale*, quæ jus *divinum*, quæ jus *ecclesiasticum*.

3. An consuetudo possit quædam impedimenta introducere, aut abrogare.

4. An Princeps, vel Magistratus politicus, possit statuere impedimenta Matrimonii.

Scrupulum hoc loco movet Constitutio Henrici III. Galliarum Regis, in comitiis Blesensibus lata anno 1579. cujus Articulo 40. nulla, & invalida declarantur matrimonia, à filiis familias contracta, sine consensu parentum. Eandem constitutionem renovavit, & severius etiam sancivit Ludovicus XIII. anno 1629, & 1639. Nec hætenus contradixit Ecclesia.

Verùm illud verbum *invalida* non esse aliter explicandum, quàm per solam relationem ad *contractum civilem*, ejusdem Ludovici nomine declararunt Commissarii regii Clero Gallicano, ut habetur *Tom. III. Rerum, & Decretorum Cleri Francici*. Idem testatur Lovetus, Senatûs Parisiensis Consiliarius, *Tit. 6. Lit. M.* ubi explicat, circa quos effectus Rex hæc matrimonia decreverit esse invalida, dum ait: *Non agitur de SACRAMENTO matrimonii, aut ejus ESSENTIALIBUS ceremoniis: sed de validitate CONVENTIONUM MATRIMONIALIUM, DE ACCESSORIIS MATRIMONII,*

MONII, DE DOTIS VALIDITATE, ET COMMUNITATE INTER VIRUM, ET UXOREM; qua conditiones non dependent ex Theologicis decisionibus, sed ex dictis in Parlamento verificatis. Illustris. Isaac Habertus, Episc. Vadrensis, in Lib. de Justitiâ connubialis editi à Ludovico XIII. conditi, sic habet: Non multum laborandum est de conciliandis regis editis cum Ecclesia sententiâ: Nullo siquidem edito matrimonia filiorum familias **INVALIDA, AC NULLA ESSE**, absque consensu parentum, tutorumve, constitutum est: etsi hic error multis imposuerit. Idem tradunt Cabbassutius in Theor. & Prax. Jur. Canon. L. 3. Cap. 26. Num. 6. & 7. Gerbasius in Libro, Tractatus pacificus &c. pag. 504. Natalis Alexander Theol. dogm. & moral. Tom. 6, Lib. 2. de Sac. Matr. Cap. 2, Art. 3. Prop. 1. Videri potest Dissert. I. Benedicti XIV. apud Eusebium Amort ad calcem Tractatus de Matrim., ex quâ hæc deprompta sunt. Ubi ita concludit Sanctissimus: *Quam profecto Synodalem declarationem (quâ nimirum cupit declarari ab Episcopis, matrimonia à filius familias, invitis, ac insciis parentibus, contracta, etsi illicita, valida tamen esse, ac proinde integrum non esse contrahentibus, quàm diu alter illorum superstes est, alias nuptias inire) ad consulendum animarum salutem, non solum utilem, sed maximè necessariam, putamus.*

5. Utrùm validè contrahere possint matrimonium sinè præsentia Parochi, & testium, qui ex loco, ubi promulgatum est Tridentinum, se conferunt ad locum, ubi non est promulgatum.

6. Utrùm in locis, ubi promulgatum est Tridentinum, valida sint matrimonia, coram ministro, aut magistratu acatholico, non servatâ formâ Tridentini, celebrata, primò: inter duos acatholicos: 2dò inter partem alteram catholicam, alteram acatholicam: 3tò inter duos catholicos. *Vid. Benedictus XIV. Lib. 6. de Synod. Cap. 5. a. 1. 4. Idem*

Sanctissimus D. N. Benedictus XIV. in Declaratione, anno 1741. 4tâ Novembris editâ, circa matrimonia ita celebrata

brata in locis, Fœderatorum Ordinum Belgii dominio
subjectis, declaravit sequentia:

I.

Matrimonia, ab acatholicis inter se, in locis Fœderatorum
Ordinum dominio subjectis, non servatâ formâ à Tri-
dentino Concilio præscriptâ, usque modo contracta, ac
deinceps contrahenda (dummodo aliud non obstiterit ca-
nonicum impedimentum) pro validis habenda esse.

I I.

Matrimonia quoque, in iisdem Belgii Provinciis sinè formâ
Tridentini contracta, vel contrahenda, à Catholicis cum
acatholicis, etsi illicita, & impedienda sint; tamen, nullo
alio impedimento interveniente, valida habenda esse.

I I I.

Declarat Sanctitas sua, ut quidquid hætenus sancitum, di-
ctumque est de matrimoniis, sive ab acatholicis inter se,
sive inter catholicos, & acatholicos, in iis locis, fœdera-
torum Ordinum dominio in Belgio subjectis, sancitum,
dictumque intelligatur etiam de similibus matrimoniis,
extra fines dominiî eorundem fœderatorum Ordinum
contractis ab iis, qui addicti sunt legionibus, & militaribus
copiis, quæ ab iisdem fœderatis Ordinibus transmitti so-
lent ad custodiendas, muniendâsque arces conterminas,
vulgò dictas *di Barrera*: dummodo uterque conjux ad
easdem copias, vel legiones, pertineat. Et hæc declara-
tione vult Sanctitas sua complecti etiam civitatem Mo-
sæ Trajectensis, à Rep. fœderatorum Ordinum, quamvis
non jure dominiî, sed tantum oppignorationis, ut ajunt,
possessam.

I V.

Circa conjugia, quæ contrahuntur, vel in regionibus Prin-
cipum Catholicorum ab iis, qui in fœderatis Provinciis
domicilium habent, vel in fœderatis Provinciis ab ha-
bentibus domicilium in regionibus Principum catholico-
rum, nihil Sanctitas sua de novo decernendum, aut decla-
randum esse duxit, volens, ut de iis, juxta canonica juris
communis principia, probatâsque aliâs à S. Congrega-
tione Concilii resolutiones decidatur,

7. An

7. An hæc Sanctissimi D. N. declaratio locum etiam habeat in regionibus aliorum Principum, aut rerump., acatholicorum dominio subjectis.

8. An matrimonia, ab acatholicis intra gradus ab Ecclesia prohibitos contracta, sint ex conniventia quâdam Ecclesiæ valida.

Novam huic quæstioni difficultatem addunt verba à felicissimè Ecclesiam nunc regente Benedictio XIV. superiori declarationi inserta: *Dummodo aliud non obstrerit canonicum impedimentum. Nullo alio impedimento interveniente.*

9. An possit esse verum matrimonium, servatâ pari consensu ex voto, pactove, continentia.

Ubi explicabitur castissimum inter B. V. Mariam, & S. Josephum conjugium. Nisi maluerit Professor hanc quæstionem exponere, ut quidam faciunt, in Tractatu de *Jure, & Justitia.*

CONCLUSIO.

Hic igitur rerum præcipuarum, ad Theologiam Dogmaticam, & Scholasticam pertinentium, brevis conspectus esto: quem uti numeris omnibus absolutum esse, nemo dixerit; ita integrum erit Professoribus, perpolire eum magis, & perficere.

Ac primò quidem eorum, ad quos pertinet, prudenti judicio permittitur; ut faciant earum quæstionum delectum, quæ videbuntur ipsis, vel magis utiles, vel ad horum maximè temporum errores profligendos magis necessaria, omisis iis, quæ in hoc quidem conspectu hæctenus relictæ sunt, parum tamen ad rei summam facere videbuntur.

Expedi nihilominus, causam *dogmatum* separari semper à causa *problematum*; & de prioribus exactiorem multò disceptationem institui, quàm de posterioribus. Ac si premant angustia temporis, hæc satius erit præteriri, quàm illa.

Prudentia item Professorum relinquatur, ut quæstionum quamlibet, aut prolixius pertractent, aut brevius, prout rei ejusque dignitas postulare videbitur. Neque necesse erit. justum, ac planè absolutum de quæstionibus singulis tractatum institueres

id

id enim non licebit per angustum anni unius academici spatium. Satis erit, proposito dilucidè quaestionis statu, confirmationes conclusionum, aut propositionum, præstantiores, ac cæteris validiores, calamo excipi, cum præcipuorum objectorum dissolutionibus. Cætera, atque ea præsertim, quæ Historiæ Ecclesiasticæ uberiorem notitiam videbuntur exigere, poterunt inter explicandum exponi vivâ voce. Illa etiam, quæ hoc in conspectu satis disertè dicta videbuntur, ex eodem proponentur, ut e. g. Errores quâvis in materia occurrentes, & multa in Tractatu de Jure, & Justitiâ; ne iis dictandis præripiatur multum temporis.

Conveniet tamen, scripto indicari auctores præ cæteris selectos, & præstantiores, qui quolibet in argumento prolixius, & majore soliditatis laude versati fuerint; ut eos discipuli, cum libuerit, aut ubi res poposcerit, queant consulere. Atque ante omnes quidem alios auctores, expediet eos in Sanctos Patres, illorumque libros, digitum intendere; qui fuerint coævi hæresi cui-libet, eamque validius contuderint. Erroribus verò recentioribus eos maximè coætaneos Scriptores juvabit opponere, qui validius præ cæteris cum iis decertarint.

Ad feliciorum verò rei totius successum haud parum sanè conferet; si non modò scholarum publicarum Professores, sed familiarum etiam religiosarum suis in domiciliis Doctores, & Lectores, huic eidem conspectui lucubrationes suas accommodaverint: Siquæ ad concertationes scholasticas publicas invitati, tam Lectores, quàm eorum discipuli, se assueverint ventilandis non solis problematis, sed materiis etiam dogmaticis; quarum clariùs explicandarum, aut confirmandarum gratiâ duntaxat problemata præcipua excogitata fuere,

O. A. M. D. G.





is academici spatium
tatu, confirmationes
tiores, ac ceteris vai-
jectorum dissolutio-
Historiæ Ecclesiæ
poterunt inter exp-
oc in conspectu lata
ntur, ut e. g. Errores
Tractatu de Jure, &
temporis.

res præ ceteris sele-
mento prolixius, &
s discipuli, cum li-
re. Atque ante om-
sanctos Patres, illo-
nt coævi hæresi cui-
us verò recentiori-
bit opponere, qui

ud parum sanè con-
Professores, sed fa-
cillius Doctores, & Le-
nes suas accommoda-
ticas publicas inveni-
ffuefecerint ventlandis
am dogmaticis, qua-
firmandarum gra-
cipua exco-

D. G.







Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8

TIFFEN Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2007

| Blue | Cyan | Green | Yellow | Red | Magenta | White | 3/Color | Black |
|------------|------------|-------------|--------------|-----------|---------------|-------|------------|-------|
| Light Blue | Light Cyan | Light Green | Light Yellow | Light Red | Light Magenta | White | Light Gray | Black |
| Dark Blue | Dark Cyan | Dark Green | Dark Yellow | Dark Red | Dark Magenta | White | Dark Gray | Black |

TIFFEN Gray Scale

© The Tiffen Company, 2007

| A | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | M | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | B | 17 | 18 | 19 |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|----|----|----|----|----|----|---|----|----|----|
| | | R | G | B | | | W | G | | K | | | | C | Y | M | | | |